Haec igitur maxime causa fuit, quur relicto aurium iudicio pythagoras ad regularum momenta migrauerit, qui nullis humanis auribus credens, quae partim natura, partim etiam extrinsecus accidentibus permutantur, partim ipsis uariantur aetatibus, nullis etiam deditus instrumentis, penes quae saepe multa uarietas atque inconstantia nasceretur, dum nunc quidem si neruos uelis aspicere, uel humidior pulsus obtunderet, uel siccior excitaret, uel magnitudo cordae grauiorem redderet sonum, uel acumen subtilior tenuaret, uel alio quodam modo statum prioris constantiae permutaret, et cum idem esset in ceteris instrumentis, omnia haec inconsulta minimeque estimans fidei, diuque aestuans, inquirebat quanam ratione firmiter et constanter consonantiarum momenta perdisceret. Cum interea diuino quodam nutu praeteriens fabrorum officinas, pulsos malleos exaudit ex diuersis sonis unam quodammodo concinentiam personare. Ita igitur ad id quod diu inquirebat adtonitus accessit ad opus, diuque considerans arbitratus est diuersitatem sonorum ferientium uires efficere, atque ut id apertius colliqueret, mutare inter se malleos imperauit. Sed sonorum proprietas non in hominum lacertis herebat, sed mutatos malleos comitabatur. Ubi igitur id animaduertit, malleorum pondus examinat. Et cum quinque essent forte mallei, dupli reperti sunt pondere, qui sibi secundum diapason consonantiam respondebant. Eundem etiam qui duplus esset alio, sesquitertium alterius conpraehendit, ad quem scilicet diatessaron sonabat. Ad alium uero quendam, qui eidem diapente consonantia iungebatur, eundem superioris duplum repperit esse sesqualterum. Duo uero hi ad quos superior duplex sesquitertius et sesqualter esse probatus est, ad se inuicem sesquioctauam proportionem perpensi sunt custodire. Quintus uero est reiectus, qui cunctis erat inconsonans. Cum igitur ante pythagoram consonantiae musicae partim diapason, partim diapente, partim diatessaron, quae est consonantia minima, uocarentur, primus phytagoras hoc modo repperit qua proportione sibimet haec sonorum concordia iungeretur. Et ut sit clarius quod dictum est, sint uerbi gratia mallearum quattuor pondera, quae subter scriptis numeris contineantur: XII · VIIII · VIII · VI · Hi igitur mallei qui XII et VI ponderibus uergebant, diapason in duplo concinentiam personabant. Malleus uero XII ponderum ad malleum VIIII, et malleus octo ponderum ad malleum VI ponderum, secundum epitritam proportionem diatessaron consonantia iungebatur. VIIII uero ponderum ad VI et XII ad VIII diapente consonantiam permiscebant. VIIII uero ad octo in sesquioctaua proportione resonabant tonum.

QUIBUS MODIS UARIE APYTHAGORA PROPORTIONES CONSONANTIARUM PERPENSE SINT.

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 32 – Boetii geometria et musica (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0298/32)